

De prosopalgia nervosa.

Contributors

Major, Joseph Karl.
Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library

Publication/Creation

Pragae : Sommer, 1827.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p7se4kcn>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

RC552

T5

827 M

(86)

Dissertatio
inauguralis medica
de
Prosopalgia nervosa.

Auctore
Jos. Carol. Major.

YALE
MEDICAL LIBRARY



HISTORICAL
LIBRARY

~~7403
HMA 4596~~

121-

i n a u g

i c a

Prosopalgia nervosa,

quam sub auspiciis,

Reverendissimi ac Celsissimi Principis

Domini Domini

Wenceslai Leopoldi
Equitis Chlumczansky

de Przewalk et Chlumczan,

Dei gratia Archiepiscopi Pragensis, sedis apostolicae per
inclutum Regnum Bohemiae, nec non per celeberrimas Bam-
bergensem, Misnensem et Ratisbonensem Dioeceses legati
nati, Caes. Reg. Ordinis Leopoldini Magnae Crucis Equi-
tis, etc. etc. Incluti Regni Bohemiae Primatis, suae Caesa-
reo-Regiae Apostolicae Majestatis Consilarii intimi actua-
lis, almae et antiquissimae Carolo-Ferdinandae Universita-
tis Pragensis Cancellarii perpetui, et studiorum Pro-
tectoris etc. etc.;

s u b R e c t o r a t u

magnifici, perillustris, celeberrimi ac doctissimi

Domini

Joannis Theobaldi Held,

Medicinae Doctoris, artis obstetriciae Magistri, Nosoco-
mii fratrum Misericordiae Physici, Candidatorum pro su-
prema Doctoratus Medici Laurea Examinatoris, Senatus
Academici in Publicis et Politicis Praesidis,

h. t.

Procancellarii et Rectoris Magnifici;

sub Directoratu
magnifici, perillustris, celeberrimi ac doctissimi
D o m i n i

Ignatii Nadherny,

Medicinae Doctoris, artis obstetriciae Magistri, ad Incly-
tum Regni Bohemiae Gubernium Consilarii Caesareo-Re-
gii Actualis, per Bohemiam Protomedici, Medicinae fo-
rensis et Politiae medicae Professoris publici et ordina-
rii optime emeriti, Celeberrimae Facultatis Medicae Prae-
sidis, atque Studii Medici Directoris, Senatus academici
in Publicis et Politicis Assessoris, etc. etc.

D e c a n o

Illustri, spectabili, celeberrimo ac doctissimo

D o m i n o

Francisco Alexio Wünsch,

Medicinae Doctore, Pathologiae et Therapiae generalis nec
non Pharmacologiae Professore supplente, Senatus Acade-
mici in Publicis et Politicis Assessore, Candidatorum pro
suprema Doctoratus Medici Laurea Examinatore; etc. etc.

C o r a m

Caesareo - Regiis in eadem Facultate

Dominis Professoribus

a c

tota celeberrima Facultate

publicae Eruditorum Disquisitioni submittit:

Jos. Carol. Major,

Bohemus, Litomericensis, pro suprema Doctoratus medici
Laurea Candidatus,

Theses in adnexas disputabitur in aula Carolina hora
decima, die 5. mensis Maji MDCCCXXVII.

Dissertatio
i n a u g u r a l i s m e d i c a
de
Prosopalgia nervosa.

A u c t o r e
Jos. Carol. Major,
pro suprema Doctoratus medici laurea Candidato.

Wilhelm Weitenweber.

P r a g a e:
T y p i s S o m m e r i a n i s.
1 8 2 7.

Excellence

in the study of the

history of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

Reverendissimo ac Illustrissimo

Domino Domino

Vincentio Eduardo Milde,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Litomericen-
si, S. S. Theologiae Doctori, Ecclesiae Metropolita-
nae ad Divi Stephani Viennae Canonico Honorario,
Musei Regni Bohemiae Membro activo, Domino in
Drum et Trzebautitz etc. etc.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

Illustrissime ac Reverendissime

Domine Domine!

Quum huncce libellum — qui eximium nominis Tui decus in fronte gerit, in subsequentibus vero pagellis exiguas juvenilis scientiae primitias complectitur, — sub auspiciis Tuis in lucem prodire laetor: me simul penitus imparem sentio, gloria Tua, quae in univer-

sa litteratorum celebratur republica, dignum
quidpiam proferendo: ad clementiam Tuam
supplex confugio, ut non tam rei ac conami-
num juvenilium tenuitatem, quam animi grati
et venerabundi pietatem, cujus palam hic pro-
fitendae mihi laeta obvenit occasio, benigne

respicere et intueri, Tibique persuasum habere digneris, haecce piissima erga Te animi sensa nunquam et nusquam in me esse emoritura. — Noli caeterum dedignari, me sub auspiciis Tuis ex schola in vitam, quam vocant psacticam transgressurum, excelsam benevolen-

tiam gratiamque Tuam in omne vitae suae
tempus sibi iterum iterumque efflagitare.

Illustrissimi ac Reverendissimi
Domini Domini

humillimus

auctor.

Proœmium.

Cum terrificam formam, qua tot morbi imbuti, naturam victricem excludunt, aegrosque sub optima medendi ratione hinc inde trucidare intendunt, minus respiciam; ingens aegrorum cruciatus, etsi periculo careat, mihi in capessenda materia pro dissertatione haesitanti, imposuit officium, solertem prosopalgiae imaginem veritati innixam methodumque, qua vis deleteria justo artis adminiculo prohiberi queat, quousque vires imbecilles sufficiant, exponendi.

Meta mihi consequenda expostulat, ne nova in arte medica detecta repudiam, sed ut morbi doctrinam studiosi Medicinae cultoris attentione summopere dignam, neotericorum et veterum opinionibus combinandis, comparandis nec non iterata observatione comprobatis locupletare, strenue mihi proponam. Neminem fugiet, quam arduum sit, huic scopo praefixo omni ex parte satisfacere, cum terrificæ morbi indoles, malignitas decursus, dolor horrendus, sedes magis abscondita, diffusa causarum copia insultusque recidivantes abunde comprobent, prosopalgiam ad eas spectare affectiones, quæ densis obductæ tenebris, indefessam medici operam vanam reddere consuescunt. Cum naturæ molimina parum præstare valeant ac dolor faciei Fothergillii præcipiti passu organismo insidias struat, arti soli incumbet officium, doloris vehementiam infringendi, extensionem

ulteriore rem recidivamque praecavendi. Quamvis pertractanda affectio illis non sit inserenda morbis, qui sub praecoci incremento, medici praesentiam recusanti, extemplo enecare valent; maligna indoles, pertinaciter irradicata, medici opem citissime exigit. Proprio desiderio concitatus, libenter curiosa prosopalgiae descriptione occupor, et eo magis hanc formam capessere cogor, cum observationum thesaurus pauca suppeditet exempla et infallibile axioma assequi, huc dum extra virium mortalium sphaeram positum sit. Si, morbi saevitiae fracta, nova detecta, centena experientia confirmata fuerint, opinionumque ac therapsiae discrepantia cessaverit, tum ad metam praefixam perveniendam jucundior, tutissima ac certissima, nunc adhuc incognita, sciscitanti patebit via. Etsi medicorum plures simili operi manus feliciter admoverint, quorum labori opus-

culum a me tyrone adhuc in arte medica conscriptum, postponendum demisso animo fateor, etsi totidem morbi idea elucubrata fuerit, additamenta pro virium ratione, paucaque commentaria adnectere, mihi licebit. —

Denique exopto, enixeque flagito, ut, quicumque offenderit errores, mihi studiorum curriculum anno abhinc deserenti, inevitabiles, ignoscere, benigneque artis primitias, in emolumentum decumbentium palam promulgatas, suscipere velit.

I.

Conspectus historiae morbi diversa- quaue illius synonyma.

Quamvis exacta prosopalgiae apud veteres auctores mentio non facta sit, quamvis illo aevo explanandam determinationem desideraverint medici, hinc inde plura dispersa, fida observatione comprobata, inuenimus; quae, etsi hisce minus eruatur morbi indoles, serius superstruendis regulis therapeuticis ansam praebuere firmitusque cognitionis fundamentum reddidere. Si innumera percurramus medicorum opera, summa sagacitate conscripta, vestigia prosopalgiae reperiuntur, quae jam ab Aretaeo cephalaea nominata fuisse dicitur. — Graecus Simeon Seth, Arabumque plures ^{1,2)} hanc affectionem in scriptis commemorant. Serius ad exactio-

¹⁾ Ebn Sina c. L. 3. fen. 3. tr. I. c. 15. pag. 517. edit Paulin. Venet. 1595.

²⁾ Rhazis oper. lib. I. ad Amanzorem c. 5.
Avicennae canon. lib. III. fen. 2. tr. 1. c. 15. edit Paulin. Venet. 1595.

rem morbi notionem duxit celeberrimus André³⁾. Pathologis vero omnibus consentientibus ac essentialis Therapiae discrepantia amota, cel. Fothergillius lucidam diagnosin promptissimamque Therapiam, conamini antecessorum laudando primus superstruxit morbi-que denominationi vulgari ansam prae-buit. Neoterici egregiam viam ulterius sternendam, non desudarunt, operamque indefessam sic dictae torturae oris praevertendae navasse, compertum habemus.

Iugeniosi auctores, Pujol⁴⁾, Forstmann et Leidenfrost⁵⁾, Siebold⁶⁾, v. Loenen⁷⁾, Simon⁸⁾, Selle⁹⁾, Blumenbach¹⁰⁾, Gmelin¹¹⁾, Baldinger¹²⁾, Langen-

3) André observations sur les maladies de l'urètre. a Paris 1756. pag. 318.

4) Pujol. Essai sur la maladie de la face nommée le tic douloureux à Paris, 1787. 8. deutsch übersetzt von Ch. H. Schreyer. Nürnberg. und Altd. 1788. 8.

5) Forstmann et Leidenfrost de dolore faciei Fothergillii. Duisb. 1790.

6) Siebold doloris faciei, morbi rarioris atque atrocis observationibus illustrati adumbratio. Wirceb. 1796.

7) v. Loenen dissertatio de dolore faciei convulsivo. Gröning. 1797.

8) Simon dissertatio de prosopalgia. Hal. 1793.

9) Selle. Neue Beiträge zur Natur und Arzneykunde. W. Berlin. Th. I. Nro. 6. pag. 27. 1782.

10) Blumenbachs mediz. Bibliothek.

B. III. pag. 147 und 316. B. II. pag. 506.

11) Gmelins fortgesetzte Versuche über den thierischen Magnetismus. S. 604.

12) Baldinger mediz. Journ.

Th. 7. pag. 55. Th. 1. Nro. 6.

beck ¹³⁾, Nobilis de Leuthner ¹⁴⁾, Reil ¹⁵⁾, Dreyssig ¹⁶⁾, Sprengel ¹⁷⁾, Hufeland ¹⁸⁾, Frank ¹⁹⁾, caliginem, prosopalgiam obducentem dissipare, illaque remota forum Medicinae augere, conati sunt. — Medicorum plures consentientes opera plura ejusdem valoris construxisse constat ^{20 21 22)}. Supervacaneum nequaquam censeo, diversa nomina prosopalgiae competentia adduxisse, cum rationem originis dolorisque exprimant, cum ignavia praecoccupati, falsam subministrent Therapiam. Quilibet determinatione indoles occulta terrificaque forma exprimitur. —

Sequentia obveniunt in medicorum scriptis prosopalgiae Synonyma a peculiari signo pathognominoco, a momento sive proëgumeno, sive excitanti deprompta.

¹³⁾ Langenbeck tract. anatomico chirurg. de nervis cerebri in dolore faciei consideratis.

¹⁴⁾ Nobilis de Leuthner commentat. de dolore faciei Fothergilli. Wirzeb. 1810. 8.

¹⁵⁾ Reil. Memorab. clinic. Vol. I. fasc. 2. pag. 7.

¹⁶⁾ Dreyssig's Handbuch der mediz. Diagn. pag. 423.

¹⁷⁾ Sprengels Handbuch der Pathologie. III. Th. §. 252.

¹⁸⁾ Hufelands Journal der praktischen Heilkunde.

B. 20. St. 1. Nro. 1. B. 9. S. 1. pag. 56.

¹⁹⁾ Joau. Petri Frank de curandis hominum morbis epitome.

²⁰⁾ Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte. B. 20. S. 1. pag. 179.

²¹⁾ Complete collection of Fothergillo works by Lettson. London 1781. 8.

²²⁾ Museum der Heilkunde. I. Band. Zürich 1792. Nro. 36. 40.

I^{mo}. Cephaleam nominarunt, cum caput praep^{rimis} obrutum se manifestet.

II^{do}. Torturam oris dirissimo faciei dolori nomen debere, abunde constat.

III^{io}. Ob convulsivam musculorum faciei distorsionem trismi denominationem ortam fuisse, credunt.

IV^{to}. Dolor faciei Fothergillii a nomine studiosissimi morbi observatoris desumtus.

V^{to}. Alii ea ex causa nuncuparunt dolorem rheumaticum faciei, cum rheumatismo non dissimilis, observata fuerit affectio.

VI^{to}. Nonnulli neuralgiae facialis denominationem a plaga nervi affecti deductam, asservare intendunt.

VII^{mo}. Prosopalgia nervosa regionem indolemque doloris exactissime assignat, hinc et reliquis denominationibus pro libitu assumtis revera palmam praeripere, manifestum, quare in hocce libello hoc nomine uti, mihi concessum sit. Scripta multifaria prius commemorata confirmant assertionem, morbum pertractandum diverso modo nuncupatum fuisse.

II.

Phoenomenorum localium et
universalium expositio.

Vix occurrit morbus, qui sub primo intuitu luculentiora manifestaret phoenomena, quorum praesentia tanta diagnoseos certitudine stipata incedit. Characteristica competunt prosopalgiae phoenomena, irruentesque paroxisimi, quibus alius affectionis exacerbatio vix aequiparanda, ad eruendam sedem sufficiunt. Etsi invasionis stadium cito finitum sit, etsi sensibus vix obversetur prodromorum vestigium, tamen symptomatum seriem praemittere cogor, quae minantem prosopalgiam annuntiat, curamque prophylacticam instituendam monet. Eo casu, ubi non subito aeger corripitur malo, exordiuntur anxietatis sensatio, aspectus languidus, respiratio suspiriosa, tensio mollesto pruritu stipata, se extendens per palatum molle, supercilia regionemque supra et infraorbitatem, mollestus ad scabendum invitans Mirmecismus. Intercedunt saepe dolores pungentes, acsi aeger ictu electrico vehementer concuteretur. Si vero ex improvise dolor exsurgit, tum radiorum adinstar juxta directionem pedis sic dicti anserini propagari videtur, pedetentim increscit aut cito augetur, ac intollerabilis redditur. Plerumque hospitatur in regione infraorbitali, quae recrudescente dolore mitissimam reformidat contrectationem. Dolor minus dijudicanti in musculis et ossibus sedem figere

nonnunquam a sinu maxillari, ab orbita, dente carioso glandulisque adjacentibus exire videtur. Dolor intensus, vehemens, lancinans, terebrans, distendens, punctorius quasi ex cultro infixio, talem saepius vehementiam nanciscitur, ut mentis perturbationem, sensuum hallucinationes horrendosque aegri ejulatus extorqueat, faciei distorsionem motumque musculorum impeditum provocet. A nonnullis medicis observabantur striae longitudinales intensive rubrae, a fronte ad nasi alas propagatae. Brevissimo saevire visus tempore, sed cito recruduit dolor dirissimus. Communia inflammationis signa, ut tumor, calor, temperatura saltem adaucta saepe conspiciuntur. Oculorum vivacitas exstincta, labiorum tremores musculorumque distorsio aspectum reddunt truculentum ac physiognomiam priori plane dissimilem. Non mirum, si aeger adfectioni syncopali ac desperationi proximus, totius organismi statum a norma discrepantem offerat. Algor, cutis spasmodice constricta, carotides fortiter pulsantes digitumque appositum vi ferientes, absque frequentia inconsueta, potius pulsum numero restricto, respiratio anhelosa, deglutitionis ac loquelaе impedimentum concussionesque vehementissimae sistunt generalia momenta, quae symptomata prius assignata de regula concomitari consuecunt. Epiphora salivaeque excretio larga fractum insultus impetum comprobant. Prostant ex altera parte exempla adfectionis ructu flatuque mitigatae. Experientia confirmatur, eo citius paroxysmum terminatum fuisse, quo vehementior fuerit. Unius paroxysmi extensio certis limitibus nunquam circumscripta, inconstans, determinato typo nunquam adstringitur. Revertitur plerumque interdiu, aegrumque nocturno tem-

pore vexare cessat, mox quadrante horae, mox dimidio, integra aut pluribus horis paroxysmum saevire observarunt. Prosopalgiae nonnunquam in chronicum statum vergentis extensionem exacte definiri non posse, neminem fugiet. Idem valet, si morbi decursum spectamus. Saepe absolvitur unico paroxismo, saepe plures agnoscit. Tempestatis mutatione, approbato lunae influxu, decursum aliter determinari, compertum habemus.

III.

Opiniones, sedem prosopalgiae concernentes.

Ramificationes quinti septimique paris nervorum ab encephalo exeuntium sedem diversae modificationis sistere, luculenter constat. Nervorum decursu exacte determinato, obtinemus volatilis doloris ideam. Mirum nervorum vinculum, quo omnes in unum nectuntur, ac harmonicum exhibent consensum, exponendae sedi inservit. Odontalgiam aemulans, ex adfectione tertii rami quinti paris deducitur.

Causa propagati doloris ad palatum ramus alter paris quinti accusatur. Adfectio orbitam occupans, nervum infraorbitalem, a stirpe trigemini proficiscentem, a fronte vero exiens, nervum fronti prospicientem qua

sedem agnoscit. Per genas ad auditus organa extensa septimum par nervorum encephali praeheum assignat. —

Anatomica momenta propterea veniunt adnectenda, cum ignavia nervorum situs, salubris caeteroquin incisio damnosa reddi possit. Nervos teneriori tegmine obductos, aliis corporis regionibus prospicientes, prosopalgiae indolem fallaciter exhibuisse, ex scriptis medicorum ac observatorum plurium eruitur.

IV.

Morbi, quibuscum analogiam essentialem offert.

Supervacaneum haud censeo, adnectere differentias, quorum neglecta mentio medici seductioni ansam praebere possit; confudere enim prosopalgiam in perniciem aegrorum cum analogis malis auctores, quae adducere non haesito, cum obscura ab vitiosa diagnosis ex omissa distinctione accurata promanet.

Confunditur

Imo, cum odontalgia. Illegitimae ac falsae hypothese innixam indagamus in nonnullis scriptis morbi determinationem; exstant exempla inepte commutatae prosopalgiae cum dolore dentium. Quamvis analogus conveniat odontalgiae dolor, quamvis cariosa destruc-

tio suspicioni prosopalgiae sublatentis inservire possit, comparere solent characteristicae et pathognomonicae in dirigendo Therapiae selectu discrimina. Si dentem quae sedem agnotum, corruptione consumptum offendimus, si confusionis committitur error, tum evulso dente imo pluribus evulsis malum increscet. Sedes exactis limitibus terminata ad dentis alveolique peripheriam restricta observatur, denique dolor atrocissimus prosopalgia occupatum infestat et per plura cito sese excipientia intervalla immunitatem ab omni dolorifica sensatione conciliat aegro; citissime iterum obruitur, brevique reficienti gaudet levamine.

Odontalgiae suspicionem praecedunt consuetas momenta causalia, tempestatis vicissitudo, graviditas, destructio dentium etc. Prosopalgia praehensi, interno momento adscribere solent morbi originem, imaginem ab odontalgia diversam exhibent, extra paroxysmum qui plerumque interdum occurrit, quam optime valent, dum odontalgia continuam sistat flagellam.

IIdo. Distinctio a trismo nullis difficultatibus succumbit, respicientes utriusque aetiologiam symptomatologia junctam. Aetatem juniorem praegressis laesionibus, aeris atmosphaerici indole permutata, externisque momentis inquilinis conspirantibus saepe praehensam ac diu infestatam animadvertimus. Exorditur trismus sensu titillanti, convulsiva musculorum faciei distorsione experti, dum e contra senes, laeto vitae generi addicti, cachexiis ex abdominis anomalia scaturientibus obnoxii, hoc tormento obruantur.

IIIto. Analogiam agnoscit cum accedente vitio organico antri Highmori aut sinuum frontalis.

Pathognomonica signa manifestissime conjectandam refutant analogiam, quod ex sequentibus desumere licet: Prosopalgia absque ulla decurrit feбри, dolore pungente, extus persentiendo, repentinas celebrante invasiones juncta cernitur, dum antri Highmori aut sinuum frontaliū inflammatio in suppurationem tendens pulsanti ac obtuso designetur dolore, qui peculiari simul indole ossium affectionem omni eripere valet dubio.

IVto. Insecta in cavum Highmori ac sinus frontales proserpentia, membranae mucosae narium intumescētia, quorsum polypi spectant, adfectionesque venereae vix momentis discernendis indigent.

Vto. Convicti de obstaculo transpirationis cutaneae, persuasi de irradicata diathesi arthritica, hemicraniae memores justequē scrutantes, non fallimur. Etsi arthritidis impetuose et saepius mollestet aegrum, tam insigne decumbentis tormentum non sistit ac prosopalgia, locum mutat, plerumque feбри incedit, nocturno tempore exacerbatur, quo altera intermissione gaudet.

VIto. Proxime adnecti meretur clavus sic dictus hystericus, qui capillitium occupans rarissime ad inferiorem extenditur regionem, diutius excurrit ac algore stipatur.

Vitia organica in abdomine reclusa, nullum de diagnosi relinquunt dubium.

V. Causa proxima.

Antequam momenta disponentia origini prosopalgiae inservientia, adtentae subjiciam considerationi, quaerendum erit, in quo causa proxima profundius delitescens consistat. Abstrusa morbi idea ducti fusio-rem expositionem ac momentorum sublatentium indagatio-nem desiderare cogimur, et quousque caligine difficul-ter removenda obducta cernitur, quilibet mihi, dispo-sitionis conditionem investiganti, ignoscere velit, cum libenter fatear, forum mihi exquisitum laborem saga-cissimorum medicorum indefessum exposcere. Neote-ricorum plures momenta occasionalia exactius diluci-dare concupivere, quorum conamine egregio qua iu-citamento commotus, absconditam morbi indolem cla-riorem reddere conor. Abunde constat, Fothergillum ¹⁾ primum fuisse, qui promptius explorandae causae pro-ximae assiduam navavit operam. Egregio eventu labor illius coronabatur, attamen plura adhuc praestanda suc-cessoribus reliquit, seque ipsum causam ignorare pro-fessus. Subsumsit cum verosimilitudine

Imo. *acre canerosum*, opinionemque suam se-quentibus argumentis corroborare nisus: foeminas annis

¹⁾ Fothergill. Beobachtungen und Untersuchungen der londoner Aerzte. Band V. In der Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte. Band III. Stück 1.

clinactericis, qui dispositione in degenerationem canceraticam insigniuntur, infestari, dolorisque anomaliam cum simili cancri, egregiumque effectum remediorum carcinoma praepedientium pro acrimonia cancrosa pugnare, profert. Cum et sexui masculino prosopalgia convenire visa, cum radicalis prosopalgiae medela cicuta absolvi non possit, imo dolor exasperetur, cum dolor incisione instituta potius exardescat, quisnam celeberrimo Frank ²⁾ adsentire haesitaret, cujus ingeniosa observatione Fothergillii opinio refutatur, qui prosopalgiae imaginem conspexisse enarrat, quin cancri aut scirrhi se obtulerint phoenomena.

Ido. Casu fortuito ducti virus venereum sublatare censebant, nam errore commisso sub usu mercurialium rebellis mitigata fuit prosopalgia. Dolores syphilitici contrariam offerentes indolem, calore lecti noctuque exacerbationem agnoscunt.

IIIto. Originis metastatici celeberrimi André ³⁾, Hufeland ⁴⁾, Blumenbach et Borrant adducunt exempla, cum psora suppressa, retropulsa herpete orta fuerit prosopalgia, altera ex parte vero eruptis pustulis in febris miliari vim deleteriam fractam fuisse, commemoretur. Diaphoretica in emolumentum et levamen aegrorum propinata, huic hypothese veritatem quandam conciliare videntur.

²⁾ Joannis Petri Frank de curandis hominum morbis Epitome juxta ejus praelectiones ab Jos. Eyerel lib. VII. sect. II. pag. 141. Viennae 1805.

³⁾ André observations sur les maladies de l'uretré a Paris 1756. pag. 318.

⁴⁾ Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde. B. 20 St. 1. Nr. 1. B. 9. St. 1. p. 56.

IVto. Paucissimi medicorum qua causam proximam commemorant vitia organica in abdomine reclusa, vitam officinae digestionis a norma deflectentem, infarctus, obstructiones, indurationes, impeditum sanguifluxum per systema venae portarum, quamvis largam affectionum nervosarum sistant fontem. Cum prosopalgia, affectione abdominali jamjam praesenti, facile oriri possit, cum saepius intercedente haemorrhoidali alvique fluxu cesset, cum mirum obveniat nervorum vinculum, mira sympathia, abdominis vitia magis extolli merentur. —

Vto. Celeberrimus Leidenfrost et Degener ⁵⁾ arthriticam subsumere diathesin, constat. Probabilem diagnosin cautissima circumspectione esse determinandam arti confidentem non latebit. Bene consulens suspicionem insolitae commutationis cognoscet rationalemque morbi ideam desiderabit. Cum prosopalgiae causae ignorentur, cum simili apparatu therapeutico ac arthritis amoveri et tolli non possit, cum fluctuans ac incerta illi opposita fuerit therapia, imperitiae accusandi, qui regularem arthritidis decursum minus respicientes absurdum prava analogia demonstrare intendunt.

VIto. Nobilis de Leuthner ^{6,7)} aequè absurdum quaesivisse refugium, ex eo patet, quum neglectis praemis-

⁵⁾ Leidenfrost et Forstmann de dolore faciei Fothergillii. Duisb. 1790.

⁶⁾ Nobilis de Leuthner commentat. de dolore faciei Fothergillii. Wirceb. 1810. 8.

⁷⁾ Henkes Handbuch der speziellen Therapie Band II. pag. 402.

sis opinionibus, nervum qua sedem agnoscens, astheniae ac erethismo nervoso prosopalgiae ortum adscripserit; vita enim alterata et organisatio deviare debet, organisatio vero a tramite recto deflectens subtilissimae innititur anomaliae, quam mortalium vix unus armato distinguere valet oculo, cum dynamica vitia partium destructione minus se manifestent.

VII^{mo}. Nonnulli inopportune a tensione electrica ⁸⁾ tanquam ditiori momento causali lucidam expectant disquisitionem, pro qua cito irruens brevique cessans paroxisimus fallaciter pugnare videtur. Nemo certe erit, qui hypotheseos mentionem sagaciter expositam dignoscere vellet, etsi medicum in dubio relinquat, multisque explicandi difficultatibus prematur.

VIII^{vo}. Majorem quam par est, valorem celeberrimus Lentinus ⁹⁾ in detegenda causa proxima medullae oblongatae tribuit, quam opinionem convulsiva musculorum faciei distorsione, larga salivatione ac antagonistica cerebri irritatione evincere nititur.

Ex praegressis patet, in scriptis tum antiquiorum tum recentiorum auctorum plures obvenire controversias, pluraque dissonantia prolata fuisse. Diversi medici diversam explicandi methodum largiuntur, quae etsi dignitate destituta appareat, salubrem obtinendae justae rationi praebuit ansam.

⁸⁾ Bertholon de la Lazare de l'electricité du corps humain. Lyon 1780. pag. 223.

⁹⁾ Vogler in Blumenbachs medizinischer Bibliothek. Band II. S. 506. Böhmer und Lentin eben daselbst Band III. S. 316 und 147.

Quamquam nocivos hypothesis effectus sufficienter expositos inveniamus, quamquam tentaminum tanta prosiliat diversitas, nondum liquet, selectam ex his omnibus hypothesis ullo carere vitio. Nosogenia securior haurietur, si animadversiones morbosae, incognita molimina castaeque naturae observationes iudicium medici rationale dirigent.

Argumentis pro et contra trutinatis, riteque inter se computatis, sequens hypothesis, etsi dubiis nonnullis quoque prematur, evidentissima mihi videtur. Analogiam cum ischiade ¹⁰⁾ multum ad optandam contulisse terminationem ideamque prosopalgiae emendasse, notum est. Ex primariis symptomatibus evolvitur sublatens nervorum facialis processus inflammatorius. Nec unum desideratur inflammationis phoenomenon. Irritabilitatis ac sensibilitatis sphaeram occupatam, demonstrant: dolor dirissimus, congestionis signa, circulationis excessus, striis sanguinolentis comprobandus, tunica vaginalis nervea humore seroso plena, levamen antiphlogisticis remediis inductum, exacerbatio constitutione annua posita, medela prosopalgiae incisione nervi nonnunquam absoluta. Interim et huic theoriae firmum denegatur fundamentum, cui sequenti objectione oppugnare consuevere. Dolorem ab inflammatione vix repetendum esse, ex pulsanti eruunt indole; prosopalgiam striis sanguineis, quas pro reactione nervorum declararunt, saepe destitutam,

¹⁰⁾ Domini Cottuni de ischiade nervosa commentarius, Neap. 1764. Jos. Petri's neue Heilmethode des Nervenhuftweh aus dem Italienischen mit Anmerkungen von Spohr Detm. 1787.

subinde faciem algore correptam, animadvertere volueret, essentiali inflammationis signo dissimili, imo contrario. Peculiarem praesidentiam in aeris constitutionem eo vanam reddere intendebant, quum hocce momento mutato, vehementia affectionis immutata mansisset, visa fuerit. Cum inflammationis theoria maxima gaudeat verosimilitudine, totque arrideat medicis, cum naturae et observationi consentanea censenda sit, cum illi adaequata malum impugnanda superstrui possit therapia, usitatissimam ac promptissimam hanc explicandi methodum declararem. Objectiones huic hypothese oppositae vix valorem experientia confirmatum extinguere valent et pro exceptionibus de regula rarissime conspiciendis declaranda veniunt.

VI.

Causae proëgumenae excitantibus junctae.

Peculiaris perceptibilitas simultanea potentiarum excitantium actione juncta annis climactericis, sexui sequiori, aetatique mediae competit. Vix negari potest, in abdominalium viscerum anomaliis inveteratis sub varia imagine infestantibus, dispositionem ad pro-sopalgiam nervosam esse quaerendam. Quamvis obscura, vinculo dilucidando indigeat, quamvis ratio ma-

gis abscondita, manifeste observandum, dispositionem ad prosopalgiam subeundam proflictis vitae reproductivae turbis, interdum auferri, interdum vero perennem induci. Cum systema nervosum in cuncta organismi systemata praepollentem exerceat vim, imprimis anomaliae systematis dermatici ac officinae digestionis, suscipientes causas occasionales, majorem aegrotanti conciliant proclivitatem. Stagnante sanguine per proprium systema venae portarum, aegro inclinante in alvi segnitiam, haemorrhoides, arthritidem, melancholiam, profundius jamjam syphilide irradicata, dispositio essentialis ad prosopalgiam inducitur. Posita hac opportunitate, levidensi accedente momento excitanti malum erumpere, relapsuque gaudere, varia recensentur exempla.

Lauto vitae generi addicti, labore gravi occupati, potulentis spirituosius faventes, foeminae irritantibus variis pigmentis, faciei ornandae inservientibus deditae, vehementi non raro corripuntur prosopalgia. Hoc respectu jam dispositi, laesionibus externis accedentibus, irritamentis, nervum trigeminum sive premendo, sive corrodendo, sive distendendo afficientibus, muco sordibusque collectis, insectis in antrum Highmori proserpentibus, vulneribus, cariosa ossium destructione, irritamentis ab aegro ipso scabendo inductis, citissime malo succumbunt.

Hisce violentiis occurrentibus et vasorum et nervorum vitam a recto deflectere tramite, opportunitatem magis magisque extolli debere, neminem latebit. Numerosissimae causae, sive sint proëguminae, sive excitantes ortui prosopalgiae inservientes, aliter aliterque medelam determinant, cum mox incremento symp-

tomatum graduali, mox praecipiti passu insurgant, vivumque organismum generatim aut speciatim infestentur. —

VII.

Prognostica momenta.

Jam liquet, ad quae momenta prudens artique confidens medicus in designanda prognosi respiciat, oportet. Eventus verosimiles perpendendos serius adjungere opinor, ne de praedicendo exitu futuro nos in dubio relinquant. Ne medicus infausto ac terrifico puniatur morbi eventu, minime negligenda distinctio empiricorum ac rationalium momentorum; ex causis proëgumenis, ex perpensa aegri constitutione, symptomatibus combinandis ac adnexo illius decursu sponte scatebit, an organismus anomalia praehensus, cito et radicaliter placari possit, nec ne. Epigenomenis fortuito casu accidentibus ac empiricis quibusdam signis, aliter eventus praesagium determinari posse, constat. Cum vires organicae, impetuoso paroxismo saepius irruente deprimi imo exstingui possint, cum summus inducatur lanquor, cum flagella vix mitigata cito resuscitetur, dolorque atrox palliativo modo tantum leniatur, rarius faustum supponendum augurium. Docuerunt observationes exempla insanatae prosopalgiae nervosae, quae, etsi lethifera censenda non sit, frequentem oc-

casione posthumis praebet morbis, qui metum mortis imminentis inducere pares sunt. Incertam ac infau-
stam plura momenta reddunt. Ex aetate provectora,
sexu sequiori, constitutione teneriori, ex temperamen-
to irritabili, neurosibus praegressis, quae peculiari
cum prosopalgia nectuntur vinculo, ex desideratis
naturae moliminibus salutiferis, ex recidivis frequen-
tius sese excipientibus, quoad invasionem anticipanti
indole gavisus, ex complicatione cum arthritide aliisque
profunde irradicatis anomaliis, ex inani causas amoven-
di spe, quorsum spectant ulcera venerea, hysteria,
organica vitia, exostoses, cancer, anima pathemata
deprimentia, prognosin tristi stipari debere praesagio,
cognoscitur.

Hisce quoque accenseri merentur, genius epide-
micus, tales affectiones diutius sustinens, perversa me-
dela, aegrum enervans, frequens aeris athmospherici
vicissitudo, aer per rimas trahens, quapropter benignam
morbi resolutionem absque artis adminiculo inducendam
prohibent, primum sub eventu praedicendo sibi vindi-
cant locum, laetumque nunquam admittunt praesa-
gium. —

Cum rationalia symptomata medico sint insuffici-
entia, et empirica perpendenda veniunt.

Dolore atroci, tremore genarum, supervenienti
marcore incressenti, intermissionum defectu, orta
febri lenta in perniciem aegri solummodo tendenti, ae-
grum orci faucibus committi, approbatur.

Quo simplicior e contra character morbosus, quo
junior aetas, eo felicior sperare licet eventum. Si
simplici apparatu cura ex voto cedit, si prosopalgiae
imago epigenomenis infaustis destituitur, si paroxysmi

brevissimum excurrunt temporis spatium, longioresque agnoscunt intermissiones, si prosopalgia a posthumo non excipitur malo, artis conamine difficulter removendo, tum omnia symptomata simul sumta nervorum affectionem levidensem et vilipendendam manifestant, salubremque exitum a medico declarandum exposcunt.

VIII.

Consuetissimae prosopalgiae nervosae terminationes.

Disquisitio exitus eo tendit, ut prosopalgiae prehensi, rarius sanitatem recuperent, frequentius vero posthumis vexentur morbis, ac invasione saepius iterata, crescente subsequa anomalia certae tradentur morti. Hanc triplicem terminationem bene perpendamus, oportet. Difficillimis revera problematibus inserenda exactior terminationis disquisitio, sive concernat plagam topicam, sive totius organismi structuram. Si prosopalgia nervosa seriem insultuum repente et inopinato praecoci malignitate saevientium offert, dynamica nervorum anomalia in organicam transgrediendi minante, degenerationis in melancholiam, maniam et furorem exempla adducuntur, quae, etsi rarissime obveniant, conamini furioso sese interficiendi, occasio-

nem suppeditasse, experientia constat. ¹⁾ Larga epiphora salivaeque excretio, organica vitia in abdomine occulta, profluviorum suppressio, pertinaces neuroses, syphilis larvata, arthritis inveterata, exanthemata prorumpentia marcorum adaugent, mortemque orta febris lenta citius inducunt. Paralysim musculorum, summum cruciatum per lustra imo totam infestare vitam saepiusque novo reverti furore, observationes crebrae comprobant. Funestus eventus et tum judicatur, si affectio in nobiliora transiliens organon, latius extenditur.

IX.

Therapia.

Sedandae pertinaci affectioni ac nervorum exorbitantiae compescendae regimine justo diaetetico satisfieri potest. Praestitis praestandis, potentiae incitantes, mechanica irritamenta summa cautela sunt removenda, ne nova noxa ex admissis stimulis propullulet aegro, diutius hac affectione detento. Utrunque vero effectum non subitaneum esse, sed pedetentim observari, moderamine aegrotantium summo, per menses excurrenti, comprobatur. Arceantur omnes stimuli, qui excedentem sensibilitatis processum magis effrenem reddere consuescunt, qui morbum protrahendo exaspera-

¹⁾ Blunt. London. med. Journ. 1786. pag. 47.

re, illiusque vim nocivam intendere valent, qui denique exquisitae medendi methodo salutiferam demunt indolem. Fluida temperantia solummodo ingurgitet, quaecumque ingerit, blanda, indifferentia, omni stimulo sint destituta. Difficulter digerenda, masticationi fortiori subjicienda, sedulo amoveantur; neque indulgeat, imo urgente necessitudine, potulentis spirituosus, concentratis, exaestuantibus, sive dilutis, caveat a motus excessu, coerceat animi pathemata deprimentia, quae sub omnibus circumstantiis infensum in organismum exserere valent effectum, grata, gratissima horum vices potius suppleant oportet. Impulsum mentis, sensuum exercitatione excedente, protracta et intensiori meditatione, leypothimiis citissime sese excipientibus inductum, quantum fieri possit, reformidet aeger, abstineat a frequenti corporis jactatione, statum potius exasperanti. Violentam corporis reactionem aëris atmosphaerici stimulo, refrigerio de novo concesso, calore immodico, frigoris excessu, mephyticorum miscela, partium constituentium combinatione perversa induci ac prosopalgiam hisce momentis concurrentibus exasperari, nulla indiget mentione. Tepor lecti calorque intensus ad fornacem, intensiorem reddunt affectionem atque essentialibus momentis excitantibus merito inserenda veniunt; hinc temperatura cum certo semper concordet Thermometri statu. Cum vero enumeratis regulis diaeteticis, quae primam sistunt Therapiae indicationem, radicalis non absolvi possit cura, cum amota jamjam causa, nisus a vexis liberandi nondum praestetur, auxilia therapeutica gravissima, generosissima conamina opponere, urget necessitas, ut cura salutifero prospiciat eventui. Non desunt medici, qui ne-

glecta causarum indagatione, statim malum oppugnare, turbasque deleterias sedantibus sopire non haesitant; sed palliativo modo morbo occurrentes, nullo conaminis gaudent fructu. Convicti vero de nexu causali, de sublatente affectione chronica, aut acuta causam sedulo abstergere nituntur.

Prosopalgia generali indicatione jamjam mitigata. nullisque exsurgentibus conaminibus naturae medicatricis beneficis et salutiferis, ars sola naturae morbo luctanti, succurrat, oportet.

Quapropter a medicis distinguendum tractamen irritabilitati excedenti opponendum ab illo, quo sensibilitatis fervor effrenis abstergi possit, sistunt enim principalia organismi systemata, centralia in se continent organa, quibus obrutis uno alterove gravissimae ac exitiosissimae manifestantur turbae. Sub magno sanguinis fervore, stimulo omni destituta, antiphlogistica, ad imum ventris derivantia, eccoprotica, organa specialius adfecta adgredientia veniunt porrigenda. Enatis turbis in systemate sensibilitatis prioresque exsuperantibus, omni aevo nervina mera opposuisse, constat. —

Therapia specialior ac casui concreto adaptanda pro diversitate causae, pro gradu interceptae aut velocioris circulationis, pro congestionem vasa oblitteranti varia, pro rebeli affectione mitioribus non profliganda aut allevanda, pro anomalia decursus, mox lenientia, leniter laxantia, mox antiphlogistica fortiora exposcit, hinc medici a mitissimis ad efficaciorum apparatus ascendentes rationale et valde proficuum manifestant tractamen.

Cum nullum specificum, quod hoc praestet et profligandae prosopalgiae nervosae par sit, notum pharmacum, cum ignoretur perspecto symptomatum nexu causarumque vinculo evidenti, iuxta Therapia ad prosopalgiam nervosam, flagellam aegrorum continuam sistentem, exterminandam sufficiens, cum natura superioritate destituta, salubri molimine morbum exacte subigere non valeat, quotidie experimur, a medico impugnandi necessitatem summopere respiciendam esse. Plura remedia a medicis qua specifica laudantur, immerito laus illis tribuitur, quia sub omnibus circumstantiis diversum imo contrarium edunt effectum.

Ob nosogeniam nimis occultam, ob rebelles ac nocenter deflectentes anomalias systematis reproductivi, ob impedimenta ex gravi et perstanti laesione muneris officinae digestionis scaturientia, ob suspicionem verosimilem syphilidis larvatae, arthritidis sublatentis retropulsae impetiginis praecoci laude commendata, ac simplici affectioni adaptanda auxilia therapeutica specifica, tentamina medicorum egregia simplicem prosopalgiam nervosam concernentia, ad sanitatem brevi recuperandam non sufficiunt. Cum hic moderamen virium vix locum teneat, cum therapia opponenda, cum reactio organismi resuscitata valida motusque febriles desint, medendo morbo diversissima pharmaca satisfecisse visa.

Pro adlata causa proxima medelam utiliter dirigere intendunt, hinc Fothergillius acrimoniam cancerosam protracto cicutae usu debellare ausus. Sub diversa dosi ad viginti usque grana ascendentes Fothergillii coevos cicutam porrexisse, notum est. Si inde propullulaverit levamen, sedanti illius vi solummodo ad-

scribendum erit, specifici nomen nequaquam meretur. Reconvaluere quidem plures, prosopalgia revera aversa, quin cicuta in usum tracta fuerit, e contra, commendatum contra canerosam acrimoniam remedium aegre medici desiderio satisfecisse, constat.

Fothergillii successores praesidentia peculiari in opium ducti, omne levamen illi adscripsere. Cognitis causis praegressis, haud raro violenta actione organismo potius nocere quam prodesse, affirmarem. Cum exorbitantiam virium in oppositum vertere valeat statum, cum e contra febris exorta lenta citissime appropinquet fini, cum summa inertia, virium languor aliaeque noxae sanitatem aequae periclitantes inde proveniant, breve, momentaneum levamen, compescendam sensibilitatem, rapidioremque sanguinis circulum per organa teneriora inhibendum concernens adduxisse, serius vero statum exasperasse, exitumque lethalem provocasse, plures observarunt. Dosis restricta nullum edit effectum; laudanum majori quantitate propinatum, turbas functionum viscerum abdominalium exasperare, inhibitam per alvum evacuationem segniorem reddere, cepheam, sensuum externorum hallucinationes, mentis stuporem inducere ac congestiones versus caput jamjam obrutum, adaugere valet. Cum aegri citissime illius usui assuescant, eo plus detrimenti ex dosi in dies adaugenda capiet aeger. Ubi nimia peccaverit irritabilitas, a celeberrimo Frank ¹⁾ sequens connubium proficuo eventu propinatum fuisse constat.

¹⁾ P. Frank l. c. pag. 142.

Rp. Assae foetidae
 Extracti cort. peruv. aa. unciam unam
 Moschi optimi scrupulum unum
 Opii puri
 Syr. cort. aurant. sol. grana sex fiant l. a. pill.
 gr. II. capiantur mane ac vesperi Nr. 4.

Enarrat exemplum de foemina dirissimo dolore per annum afflicta, protracto pilularum usu a flagella liberata.

Haigthon ²⁾ efficax, connubium cum aethere sulfurico propinasse fertur, quin radicali gavisus fuerit cura. —

Etsi laudani usu nervorum erethismus generatim dolentesque nervi speciatim obtundantur, tamen momentaneo solummodo jungitur auxilio, radicali curae vero impar censendum.

Ex remediis sedantibus reliquis Belladonnam revera praeripere palmam, ad grana duo sub initio curae porrectam, inunctione simultaneo olei Sassafras junctam, e sagacissimis experimentis Stark ³⁾ eruitur, qui illius usu protracto rebellem prosopalgiam sanatam, residuosque dolores kali muriatico oxygenato ⁴⁾ ad grana sex ter de die prorecto, profligatos conspexit. Aequè fortiter systema nervosum magna antispasmodicorum serie tum in fine peripherico tum universim feritur. Nervis impressionem gratam et proficuum con-

²⁾ Haighton l. c. pag. 191.

³⁾ Starks Handbuch zur Kenntn. und Heil. innerl. Krankh. nach des Verf. Tode herausgeb. v. Nasse. Jena 1802 B. 4. pag. 9.

⁴⁾ Herber in Hufelands Journal der praktischen Heilkunde 1813. St. 6. pag. 82.

cilantia sub diversa commendantur forma et dosi. Datura stramonii forma tincturae ⁵⁾ egregium exhibuit pharmacon, quare formulam adnectere non haesito.

Rp. Sem. dat. Stramon. uncias duas

Vini hispanici uncias octo

Vini rectificati unciam unam

Diger. per aliquot dies et filtra.

S. Guttae sex ad decem ab initio pro dosi exhibeantur. —

Experientia testatur, aconitum cum extracto cicutae, hyoscyamum, asam foetidam, castoreum, valerianam, arnicam, tincturam quajaci volatilem, viscum quern. coccionellam septem punctatam forma tincturae effiracioris ad guttas quadraginta ino sexaginta propinatam valdopere celebratam, denique pulverem foliorum digitalis purpureae aliaque excitantia volatilia, naphthas etc. saepius egregio coronata fuisse eventu; — ad haec allata tum vero confugiendum, si ratione nervorum pessumdatorum ignota prius qua specifica assignata pharminaca ad devincendam prosopalgiam non suffecissent, si sensibilitatis anomalia diffusa ac per totum systema nervorum extensa apparuisset.

Primum vero locum inter medicamina interna occupare meretur hydrargyrum muriaticum mite. Neurilemati et vaginae nervorum affectae simul prospicit, humorisque serosi stillatici ibidem collecti evolutionem coeracet, exsudationem quam optime praevertit, resorptionem lanquentem intendit, inflammatoriam notam dissipat. Sive infricetur, sive per os communicetur, princeps fere prosopalgiae sistit auxilium, quare summa illi tribuenda fides.

⁵⁾ Lentin in Hufeland's Journal B. 9. pag. 59.

Transgredientes ad proficua remedia externa, seriem illorum enumerabimus, quin seorsim illa pro diversitate systematis affecti tum nervosi tum vasorum sanguiferorum sejungamus.

Medici suadunt adplicationem sanguisugarum topicam sub summo faciei turgore, arteriis temporalibus fortiter digitum ferientibus, alioque suppresso sanguifluxu. Cucurbitas sanguineas antispasmodicis et antiphlogisticis merito adnumerari posse, effectum egregio comprobatur.

Experientia medicum audacem monet, ne locali sanguinis depletionem reiterata erethismum inducat ac prosopalgiam exasperet. Saepius hydrargyro plaga affecta infricetur, quapropter a celeberrimo Stark sequens commendatur unguentum:

Rp. Axungiae porcinae unciam dimidiam

Hydrarg. muriat. mit. scrupulum unum.

Olei Galbani.

Ol. Succini aa. scrupulum semis.

Mds. In regionem proc. mastoidei omni bihorio infricetur. —

Depletionem topicam subsequamque infrictionem unguenti mercurialis qua medelam externam exquisitam, laudabilem ac morbi naturae consentaneam commendant. Ab unguento Auhenthii, linimento volatili, Laudano liquido Sydenhami, a spiritu vini camphorati cum petroleo, terebinthina et camphora, ab unguento roris marini composito, solutione saturata ammonii, tinctura cantharidum, ab oleo galbani et succini mixtis, vix radicalis potius paliativa cura speranda, momentaneum vero levamen solummodo expectandum. Ad excitandum ptyalismum methodus Clar-

cii ⁶⁾ proponens infriktionem hydrargyri muriatici mitis internae genae faciei, reliquis eventu et laude antecellit. Non desunt experimenta pertinacissimae proso-palgiae nervosae proflictae per infriktiones auri muriatici. ⁷⁾ Derivantibus fortioribus, setaceo, fonticulis plagae dolenti quam proxime adplicatis, vesicantibus, sinapismis, cortice Mezerei, lapide caustico, moxa imo cauterio ⁸⁾ influxu egregio Magnetismi animalis ⁹⁾ et Electricitatis, ¹⁰⁾ infensiori modo organisationem adgredientibus notabiliter topicus imminuitur dolor horrendus, fortissimaque antidota censenda. — Hisce adnumerant emplastrum cantharidum, pulverem cantharidum, ¹¹⁾ qui relictam suppurationem sustinet, adjungunt porro balnea tepida, sulfurea, ¹²⁾ in fines periphericos nervorum agentia, herbis aromaticis acuata, pediluvia ex cinere et semine sinapeos contuso praeparata, epithemata ex aqua frigida aut glacie, ¹³⁾ vapores ex cicuta, datura stramonii ex cinabari evolutos per tubos angustos attractos. Longe frequentius oc-

⁶⁾ Cruixshank a new method. of introducing mercury in lothe circulation et London. 1779.

⁷⁾ Chrestien de la methode jatroleptique. Paris 1811.

⁸⁾ Guincourt Journal de medicine continué. à Paris Vol. 15. pag. 348.

⁹⁾ Gmelins fortgesetzte Versuche über den thierischen Magnetismus pag. 684.

¹⁰⁾ Blunt in der Sammlung auserl. Abhandlungen für prakt. Aerzte. B. 4.

¹¹⁾ Proszewitz. l. c. Th. 1.

¹²⁾ Lentin in Hufeland's Journal. B. 9. p. 56.

¹³⁾ Consbruch's Taschenbuch für angehende praktische Aerzte, B. 2. p. 22.

currit prosopalgia sympathica, ac symptomaticam solummodo exposcit medelam, profligando momento causali inservientem. Si subest syphilidis suspicio, tum turbae mercurialibus specifico modo agentibus sive inungendis sive deglutiendis ^{14, 15)} componi debent, quae certissime exoptatum adducunt effectum. Exanthemata retropulsa revocare intendas, diaphoresin promoventia exhibeantur; ad resuscitanda suppressa inserviunt fonticuli, ulcera artificialia, setaceum, pluraque externe commendata. Profluvia sanguinolenta suppressa citissime revocanda nota alioquin methodo. —

Suppressa transspiratio arthritidi et rheumati favens, justo adducatur tramiti remediis antarthriticis laude commendatis, inter quae calomel, aconitum, quajacum, tinctura colchici etc. spectant. Unquentum ex camphora, hyoscyamo et cicuta ope salivae subactum, unquentum Autenrithii arthritidem haud raro provocarunt. —

Methodus evacuans ¹⁶⁾ solvensque generosior tum in computum vocatur, quo diutius viscerum abdominalium anomalia protracta et desorganisationis jamjam vestigia reperiuntur. Solventia eccoprotica, tonicis juncta, clisteres sic dicti Kaempffii viscerales proficuo eventu in usum trahebantur. Plexum solare centrum erethismi nervorum viscerum abdominalium

¹⁴⁾ Maasius in Hufelands Journal B. 20. St. 1. Lentius Beytr. zur Ausübung der Arzneywiss. B. 2. pag. 123.

¹⁵⁾ Rusts Magazin für die gesammte Heilkunde B. 1. St. 3. pag. 354.

¹⁶⁾ A. G. Richter l. c. pag. 71.

sistere, constat, hinc medicamina acidum zooticum includentia, aliaque antispasmodica sub cauto regimine fervori systematis nervosi prospiciunt. Assidua aegrotantium flagella recrudescent, cultri opem exposcit. Objicere quidem plures ^{17, 18, 19, 20}), pro praestanda difficili operatione summam manus dexteritatem egregiamque Anatomiae cognitionem requiri, qua desiderata alii nervi perscindi gravissimaeque laesiones ductus excretorii Stenoniani oriri possint. Inanis haec controversia levi refutatur negotio ^{21, 22, 23, 24}). Quamvis obstent experimenta expertissimorum chirurgorum sine omni fructu operationem peragentium, quavis obstent frequentes anastomoses, aequae perscindendae,

¹⁷) Siebolds Chiron. B. II. S. 166.

¹⁸) Thouret l. c. tom. I — V. Louis gazette salubre 1766. Nr. 36.

Viellard diss. utrum in pertinacibus capitis faciei-
que doloribus aliquid prodesse possit sectio
nervorum quinti paris. —

¹⁹) Hufelands Journal d. prakt. Heilkunde Bd. XXV.
S. 45.

²⁰) Richerand. Nosographie chirurgicale Ed. II. à Paris
1808. pag. 199. —

²¹) Lentin's Beyt. zur ausübenden Arzneyk. W. B. II.
S. 85, 86.

²²) Langenbeck. Tractatus anatomico-chirurgicus de nervis cerebri in dolore faciei considerandis. Göttingen 1805. c. tab. II. und desselben Bibliothek für Chirurg. B. II. S. 4. 157. —

²³) Klein. In Siebold's Chiron. B. II. St. 1. S. 157. —

²⁴) Kapp. Hufelands Journal der prakt. Heilk. Bd. II.
S. 65.

relicta ulcera canceratica maligna, prosopalgia sympathica, tum certe fausto eventu coronabitur opes chirurgica, tum salutifera erit operatio, si sede doloris exacte determinata certus patitur ramus malumque ex nervi desorganisatione locali proficiscitur. Tres plerumque nervos concernit operatio, vel supraorbitalem vel infraorbitalem vel unum alterumve facialis ramum. Incisio nervi infraorbitalis duas exigit lineas designandas, quarum prima a dente molari primo ad orbitam ducitur, alia vero aequae verticalis dimidia parte pollicis ab orbita remota designatur, fitque incisio dimidium pollicem longa ac dimidio pollice a margine orbitali remota, exordiens a processu nasali, discinduntur tegumenta communia, labii superioris levator proprius, levator anguli oris, in angulo oris incisio terminatur. Tactu indagari posse foramen infraorbitale, ²⁵⁾ vix crederem. Plurimis ramis nervi facialis affectis, celeberrimus Langenbeck suadet, et nervum infraorbitalem et ramos faciales perscindi posse, quae operatio laesionem carotidis aut arteriae temporalis subsequam habet. Cultro convexo ac acuminato instituere plures incisionem ad ossa usque penetrantem, quo facto, nonnulli citam unionem, alii vero suppurationem longiorem proponunt, priorem tunc instituendam monent, ubi summo levamine subito gaudet ager, alteram vero suadent, dolore pedetentim evanescente. Musculorum status paralyticus, ulcera ac cicatrices non raro prosopalgiam excipiunt.

²⁵⁾ Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte B. 20
pag. 184. —

Theses defendendae.

1.

Cuilibet temperamento peculiaris competit constitutio.

2.

Calor aestivus essentialiter systema cholopoëticum infestare visus.

3.

Hepatis morbi formite putrido cito impraegnantur.

4.

Febrim biliosam facile induere characterem nervosum, millena evincitur experientia.

5.

Medici, prosopalgiae diathesin arthriticam semper subministrantes, falsam profitentur opinionem.

6.

Melaenae sedes nondum exacte determinata.

7.

Paralysi, quae apoplexiam nervosam insequitur, ferro scatentia conveniunt balnea.

8.

Haemorrhoides multifariam exhibent imaginem.

9.

Idea morbi localis concipi nequit.

10.

Menstruorum suppressio et retentio gregi malorum ansam praebent.

11.

Rhachitis et scrophula ex eadem promanant matre.

12.

Vitam sedentariam frequentissimam morborum causam suppeditare, neminem fugiet.

13.

Thermarum mineralium abusus hodie magis magisque extenditur.

14.

Caveat medicus, ne inani inhaereat theoriae aut solum profiteatur empiriam.

15.

Praesentibus simul sumtis reliquis inflammationis signis, crustae inflammatoriae fides tribuenda, secus fallax exhibit symptoma.

16.

Seducitur valdopere, qui bulbi morbos qua locales tractare velit.

17.

Qui miasma cum contagio confundunt, errorem committunt.

18.

Jede Blatternepidemie zeigt in ihrem Verlaufe verschiedene Modificationen.

19.

Obschon hie und da besondere Zweifel gegen die Kraft der Schutzpocke erhoben werden, so bleibt sie doch bis jetzt das bewährteste Mittel zur Verhütung verheerender Menschenblattern.

20.

Die innere Heilmethode der bereits ausgebrochenen Hydrophobie anbelangend, stehen wir beyuahe auf demselben Punkte wie vor Jahrhunderten.

21.

Bey Erstgebärenden verträgt sich die Möglichkeit tödtlicher Verletzungen des Kindes mit schnell überraschender Geburt.


22.

Die Erörterung der Ursachen des schwarzen Staars verdient eine gröfsere ärztliche Würdigung als ihr bisher zu Theile ward.

Accession no. 25477

Author Major:
De prosopalgia
nervosa.
1827.

Call no. RC552
T5

An ornate, rectangular decorative border in a dark blue or black ink, featuring a repeating pattern of stylized floral and geometric motifs. It frames the central text area.

Pragae:
Typis Sommerianis.